

Vd.: *Praefatio in Quadrages. etc.*; *Missale* (Correctio, II. B. n. 9).

PRAEPOSITUS.

Delatis ad S. R. C. pluribus controversiis excitatis inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Metropol. Valentinae et Praepositos in dicta Ecclesia a fel. rec. Sixto V. institutos placuit S. C. desuper exquirere votum Rotae; illoque habito in vim quatuor Decisionum ab ea emanatarum eadem S. R. C., referente Emo et Rmo D. Card. Pamphilio, viso voto, dictis Decisionibus examinatis et re mature discussa, decrevit et declaravit: „licere dictis Praepositis sedere immediate post Canonicos in iisdem sedibus seu scamnis, in quibus sedent Canonici ad audientias conciones Ecclesiae et sermones candelarum et palmarum.

Item incedere una cum Canonicis ad recipiendas candelas in die Purificationis, cineres in die cinerum, palmas in die Palmarum, Eucharistiam in fer. V. in Coena Domini et ad adorationem Crucis fer. VI. in Parasceve.

Item accipere candelas accensas ab Acolyto seu Scolano (sic) immediate post Canonicos in foundationibus, in quibus deferuntur.

Item thurificandos esse Praepositos, eisdem deferendum pacem eodem modo, prout Canonicis.

Item Praepositos debere salutari a Canonico Praesidente et aliis Canonicis in choro existentibus eodem modo, quo ipsi Canonici salutantur.

Item licere Praepositis associare D. Archiepiscopum, quando accedit ad Ecclesiam, ad Officia divina, et cum eo facere circulum una cum Canonicis ad Introitum Missae, Kyrie, Gloria, Credo etc.

Item Praepositos posse ingredi chorum per portam principalem, praesente

ibidem Dom. Archiepiscopo, ac ab eo salutatione honorari debere.

Item licere Praepositis sedere in sedibus, quae apponuntur in Ecclesia S. Conceptionis in die Processionis Bullae Cruciatæ.

Item debere deferri Viaticum ad Praepositos infirmos eodem modo, quo defertur Canonicis et in sepeliendis Praepositis defunctis esse observandum eundem ritum, qui observatur in sepeliendis Canonicis, eorumque corpora in eodem sepulcro Canonicorum esse tumulanda et campanas eodem modo esse pulsandas.

Item in cantandis Missis posse Praepositos uti assistente, sicut Canonici, parique modo, uti Canonici, incedere ad praedicandum, nec debere Praepositos genuflectere ad benedictionem recipiendam.

Item distribuendam esse ceram Praepositis in Sabbato S. immediate post Canonicos, et eodem modo prout distribuitur Canonicis.

Item declaravit, Sacerdotem cum Reliquia in Processionibus occurrentem recipiendum esse inter Praepositos; eosdemque tam in supradictis actibus, quam in omnibus et quibuscumque aliis non expressis, dommodo non sint Capitulares, facere unum corpus cum Canonicis, et gaudere omnibus praecipientiis et praerogativis Canonicorum, absque ulla differentia. Capitulares autem actus eos solos intelligendos esse censuit, qui concernunt gubernium et administrationem Ecclesiae et jura Capituli, et vota eorum, qui sunt de Capitulo, exquirunt.

Et ita observari mandavit die 3. Aug. 1641.

Ad dubium 1.: An Praeposito Ecclesiae Cath. Anagninae debeat thurificatio triplici ductu absente Episcopo, et quatenus affirmative?

2.: An debeat praesente Vicario generali?

3.: An Praepositus in locis, ubi ob deficientiam sedium fixarum chori Canonici sedent in scamnis, sive in functionibus s. sive in congressibus canonicalibus debeat praesente vel absente Episcopo sedere in illis, servata praerogativa primi loci sive potius sit pro eo ponenda sedes honoraria cum appodio ad humeros?

4.: An Praeposito in diebus solem. sacrum faciente possint in gradibus abaci exponi pelvim, gutturnium et manutergium in lance, quibus utatur, duobus Mansionariis vel Clericis cum cotta ministrantibus ad Lavabo, vel potius debeat sacrum facere ad instar aliorum Canonicorum?

5.: An Praeposito in processionibus debeat candela majoris ponderis et in distributione Palmarum distincta et honorabilior, quam caeteris de Capitulo?

6.: An assistentibus in choro Vicario gen. et Praeposito praecedere debeat Vicarius vel potius Praepositus? Et quatenus affirmative ad primam partem?

7.: An eadem praecedentia debeat Vicario, si Praepositus sit indutus s. vestibus, aut si Vicarius sit simul Canonicus et intersit in choro cum habitu canonicali?

8.: An Praeposito debeantur in sacario param. s. et nobiliora in loco distincto a caeteris Canonicis?

9.: An Praepositus teneatur per se ipsum, quando non est legitime impeditus, servare hebdomadam in choro et canere Missas per turnum cum caeteris Canonicis?

10.: An liceat Praeposito se eximere ab assistentia in processionibus s. Marci, Rogat. et aliis cum pluviali in casu?

S. C. resp.

Ad 1.: Negative;

Ad 2.: Provisum in primo;

Ad 3.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;

Ad 4.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam;

Ad 5.: Affirmative;

Ad 6.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;

Ad 7.: Negative;

Ad 8.: Negative;

Ad 9.: Affirmative;

Ad 10.: Servetur Caeremoniale et amplius.

Die 21. Apr. 1736 in Anagnina.

Ad dubium: An debeat praecedentia Praeposito Cathedr. Segnen. adversus Archidiaconum?

S. C. resp.: Negative.

Die 26. Mart. et 9. Apr. 1718.

Cf.: *Usus Pontif.*; *Dignitas*; *Candela*; *Canonici*; *Magistratus*; *Baculus*; *Annulus*; *Benedictio*; *Matutin. sol.*; *Nativ. D.*; *Vesperae*; *Vicarius general.*

PRAESENTATIO

B. V. M.

Ex parte Monialium Monasterii s. Cypriani Ordinis s. Benedicti civitatis Tergesti S. R. C. humillime supplicatum fuit pro declaratione dubii: An Officium Praesentationis B. M. V., quod occurrit die 21. Novembris, in qua celebratur octava Dedicationis ipsarum Ecclesiae, fieri possit cum commemoratione octavae Dedicationis Ecclesiae?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: „Faciendum esse Officium dicta die Praesentationis B. M. V. cum commemoratione octavae Dedicationis Ecclesiae.

N. 3897 die 23. Jan. 1717.

immediate ante illum, sit quidem praesens aut absens Gubernator aut Praeses.

Quod si fuerit Archiepiscopus utens Cruce, tunc Magistratus ibit immediate ante ipsam Crucem. Nullus enim inter eam et Archiepiscopum incedere debet, cum sit peculiare ipsius insigne.

Caput XI.

Quid, si Archiepiscopus vel Episcopus Cardinalitia praestet dignitate?

Si Archiepiscopus sive Episcopus non Pontificali dumtaxat refulgeat potestate, sed praeter hanc Cardinalatus supereminet dignitate, quoties Eminentia Sua erit descensura in Ecclesiam tempestive Praeses aut Gubernator aderit in ejus aula seu cubiculo praesignato ut in illius obsequiis comitatuque sit, cum progredietur: et tunc praeeunte omnino Magistratu permittet Cardinalis ipsum Praesidem aut Gubernatorem ad sui sinistram incedere.

In limine Ecclesiae, postquam Cardinalis Episcopus seu Archiepiscopus lustrali se aqua signaverit, aspersionum tangendum porriget Praesidi vel Gubernatori, qui deinde apud SS. Sacramenti aram genuflectet super unico tantum pulvinari, quod ei praestabitur in terra post Eminentiam Suam in consueto genuflexorio procumbentem.

Postergali prorsus amoto Residentia pro ipso Praeside vel Gubernatore apud Altare majus relinqui poterit quoad caetera ornatus genera, prout in capite quarto describitur.

Si audiendi causa Conciones exegerit commoditas, ut pro Cardinali alius aptetur locus sermocinaturis propinquior: Eminentiae Suae praestanda quidem erit praenobilis Sedes super ligneum gradum tapete contextum, non omisso ut desuper dependeat baldachinum. At Praesidi sive Gubernatori nil aliud quam inferior Sella super

nudo pavimento et aliquantulum post illam Cardinalis locata exhibebitur.

Consueta Concionatoris reverentia unice ad ipsum Cardinalem dirigetur: Quod generatim et universe ab aliis etiam sermonem quacumque de causa habentibus praesente Cardinali erit inclusive adimplendum.

Sacris actionibus expeditis, nisi aliter Archiepiscopo seu Episcopo Cardinali visum fuerit, et Praeses vel Gubernator et Laicus Magistratus Eminentiam Suam iterum comitabuntur ad Cameram usque sive Cubiculum, unde procedentem susceperant.

Constit. Bened. XIV. die 18. Apr. 1741. (Bull. r. t. XVI. p. 28.) Bullar. *Bened. XIV. t. II. Append. II.; Caer. Ep. I. III.*

Approbantur Decreta a Congregatione caeremoniali particulari edita pro Archiepiscopis sive Episcopis et Praesidibus, Gubernatoribus ac Vice-Legatis per ditionem ecclesiasticam constitutis.

Benedictus PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quod apostolus universis Christifidelibus consulebat, ut inter caetera officia sibi pariter exhibenda, honore etiam sese invicem praevenirent et honorem tamquam debitum, cui deferendus esset honor, redderent; id maxime ab antistitibus et praesulibus vicissim inter sese, in mutua tam civilium quam sacrorum officiorum exhibitione, praestandum esse intelligentes romani pontifices praedecessores nostri, per Caeremoniale Episcoporum, juxta uniuscujusque ordinis, gradus et dignitatis conditionem leges et statuta, quibus integerrime servatis et unicuique ratio haberetur et nemini inferretur praedictum, sapientissime praescripserunt.

§. 1. Quoniam autem quosdam abusus in honoribus sibi invicem defe-

rendis inter venerabiles fratres Archiepiscopos et Episcopos ex una et inter dilectos filios provinciarum status nostri ecclesiastici Praesides, Gubernatores, Praelatos et apostolicos Vice-Legatos ex altera parte, quocumque pacto ac tempore etiam immemorabili irrepsisse jamdudum, etiam dum in minoribus essemus, noveramus, ut eosdem penitus adimeremus, ne ullus unquam in posterum querelis ac dissidiis inter utrosque forsitan oborientibus pateat aditus, nonnullis ex venerabilibus fratribus S. R. E. Cardinalibus, qui Congregationibus sacrorum rituum et caeremoniarum praepositi sunt, negotium dedimus, ut leges et instituta caeremonialia pro corrigendis et auferendis iisdem abusibus opportuna et salutaria conderent.

§. 2. Hujusmodi vero leges et instituta caeremonialia ab iisdem Cardinalibus praescripta et a nobis inspecta cum probassemus, quo firmiter subsistant et servantur exactius, tenore praesentium apostolica auctoritate approbamus et confirmamus atque ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit, perpetuo observanda esse statuimus, praecipimus et mandamus.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus quibuscumque in contra-

rium praemissorum quomodolibet facientibus.

Die 15. Maii 1741.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 47.)

PRANDIUM.

(In Annivers. Def.)

Vd.: *Convivium in annivers. Def.*

PRECES.

1) Dicendae in Officio.

Vd.: *Suffr.* (in dom. privil.)

2) Non dicendae.

Ad dubium Benedictin. Einsidl.: an octava s. Scholastica impediatur praeces etc., specialiter autem si dies *Cinerum* cadat infra octavam nominatam; an tunc illa die dicendae sint praeces, quae alias omittuntur in omnibus octavis?

S. C. resp.: Octava s. Scholastica impedit praeces, quando de illa fit Officium. Quodsi octava occurrat in fer. 4. *Cinerum*, dicantur praeces, sed nihil fit de octava, quae terminatur ad 1. vesp. fer. 4. *Cinerum* exclusive. n. 4044 (2do) dub. 4 die 23. Julii 1736.

Vd.: *Dies Cinerum.*

3) Quomodo dicendae?

Vd.: *Suffragia* (Flexis gen.; decr. n. 5152).

4) Pro electione Episcopi.

Ad dubium: An diebus festis fieri debeant publicae Orationes pro novi Episcopi electione ad formam Conc. Trid. et Caer. Ep.?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 12. Aug. 1772 in *Sarsinat.*

Vd.: *Episcop.* (electio.)

Sepulto Episcopo, donec de novo successore provisum fuerit, praeces ad Deum continua offerendae sunt pro opportuna novi Episcopi electione im-

Sixtus PP. V.

Hac perpetua Constitutione mandamus, ut Praesentationis B. V. M. festus dies undecimo Kalend. Decembris per omnes totius Orbis Ecclesias dupl. Officio (prout in die Nativit.) sumpto Praesentationis vocabulo peragatur idemque in Calendario cum duplicis adjectione inseratur.

Romae 1. Sept. 1585.
(Bull. r. t. II. p. 536.)

Festo Praesentationis B. V. M. cadente in die octava Sancti ppr., transferendum esse juxta rubricam 10. de transl. festorum n. 2. et in tabellam de Occurrentia, sicuti monet Gav. citatus sect. 13. c. 12. n. 20.; ibi enim aliter decrevit et specialiter indulgit S. C. in gratiam *Visitationis* B. V. M., quod ibidem colitur de praecepto, unde, cum privilegium sit locale, non posse extendi de loco ad locum. n. 3301 ad 8 die 10. Jan. 1693.

PRAESENTIA

(In Choro).

Vd.: *Chorus; Punctator.*

PRAESEPE J. CHR.

De erectione Capellae ad Praesepe Jesu Chr. in Basilica s. Mariae Major. de Urbe cum Praepositi, Sacristae, Capellanorum et Beneficiatorum institutione atque Cardinalis Protectoris et Judicis causarum ad eos spectantium jurisdictione vd.: *Constitutio Sixti V. die 9. Junii 1587* (Bull. rom. t. II. p. 628 ed. Luxenbg.).

De Pertinentia protectionum capellae ad Praesepe in Basil. s. Mariae Majoris, vd.: *Constitutio Pii VI. de die 11. Maii 1780* (Bull. r. Contin. t. VI. p. 197).

PRAESES.

Leges et Instituta caeremonialia edita pro Provinciis Praesidibus, Gubernatoribus, Praelatis et apost. Vice-Legatis. *)

Benedictus PP. XIV.

Caput I.

Quomodo se gerere debeat Praeses aut Gubernator seu Vicelegatus in I. accessu ad suam provinciam vel civitatem: et quid, dum in ea permanebit, erga illarum Antistites.

Statim ac Praeses vel Gubernator Praelatus venerit in provinciam vel civitatem temporali suae jurisdictioni demandatam, digniorem de sua familia mittet ad Archiepiscopum sive Episcopum inibi residentem adventum suum patefaciendo simulque significando se curaturum quamprimum, ut eum solemniori, qua poterit forma, publice visitatum adeat.

Officio perhumaniter accepto non immorabitur Antistes hanc Praesidis seu Gubernatoris publicam visitationem praevenire, invisens illum privatim amiceque sub noctem, brevioribus indutus vestibus nigri coloris, ac inter eundem, ut quaelibet Nuncii forma devidetur, sciscitari dumtaxat curabit, an domi existat: quo comperito ascendet ad illum, qui eodem prorsus habitu erit indutus. In discessu respuet omnino familiarium atque luminum comitatum, ut privatae visitationis assumptionem methodum non excedat.

Praeses autem vel Gubernator pari sub forma Archiepiscopum seu Episcopum continuo revisitabit, quamvis paucos post dies de hoc eodem visitationis actu sit ei publice et solemniter satisfactorius.

Imminente itaque publicae visitationis die Praeses aut Gubernator illam

*) Vd.: *Caer. Ep. lib. III.*

Archiepiscopo sive Episcopo, mane pro Vespere et Vespere pro sequenti mane renuntiabit, et dum ad episcopale palatium se transferet, in limine portae familiares, in summitate vero scalarum Antistitem ipsum, qui aliquos etiam gradus descendet, obviam habebit. Sicque comiter exceptus ad dexteram ipsius Antistitis in audientiae aulam introducit. Hinc, postquam ambo in aequalibus sedibus e regione locatis assidentes mutuis sese officiorum colloquiis ad libitum recreaverint, discedentem Praesidem aut Gubernatorem Archiepiscopus vel Episcopus usque ad finem scalarum comitabitur; familiares vero ipsius ad curam usque, nec recessuri donec Praeses seu Gubernator prorsus abierit.

Praemisso item Nuntio, ut dictum est supra, diutius haud differet Archiepiscopus sive Episcopus publicam restituere visitationem Praesidi seu Gubernatori, qui occurrendo tam per se quam per familiares, sedendo et comitando adamussim ea omnia servabit, quae idem Archiepiscopus aut Episcopus in ejus visitatione secum peregerat.

Quod si, residente jam Praeside in provincia vel Gubernatore in civitate, ad eam primo accesserit novus illius Ecclesiae Antistes, tunc istius erit ante de adventu suo certiore reddere Praesidem ipsum vel Gubernatorem, qui hujusmodi recepto Officio, visitabit quantocius eum, non jam private, sed enunciata sub forma publica, et ita ab Archiepiscopo sive Episcopo subinde revisetur.

Advenientibus Natalitii Domini feriis Praeses aut Gubernator perget primus ad Archiepiscopum sive Episcopum, ut illas ei faustas felicesque adpreceatur, nec praetereundum quidquam tunc erit ex iis, quae de prima publica visitatione dicta sunt. Idemque praestabit Archiepiscopus seu Episcopus,

quando Praesidem aut Gubernatorem hoc nomine vicissim erit prosequuturus.

Quamquam superius statutum sit, quod Archiepiscopus aut Episcopus domi ponere debeat a dextris Praesidem seu Gubernatorem, secus tamen extra domum servabit, quia semper et in quocumque tertio loco, cum ipse tum caeteri provinciae Antistites dexteram supra Praesidem vel Gubernatorem retinebunt. Quae hactenus pro Praesidibus et Gubernatoribus praescripta fuere, a Vicelegatis etiam tam erga Archiepiscopum quam Episcopos non Cardinales in locis eorum ditioni subjectis erunt omnino adimplenda.

Caput II.

Quo habitu induti Archiepiscopi seu Episcopi et Praesides sive Gubernatores mutuas publicas visitationes exequentur.

Quotiescumque Archiepiscopus vel Episcopus ad Praesidem seu Gubernatorem diverterit, ut eum visitet in forma publica sive ut in executione pro prima tantum vice literarum apostolicarum, Oratorium privatum in palatio praefatorum Praesulum de novo erigendum approbet; supra talarem vestem capiet Mozzettam cum Rocchetto discooperto. Et domi eodem utetur habitu, dum accedentem ad se pro enunciatis publicis visitationibus Praesidem seu Gubernatorem aut Vicelegatum suscipiet.

Archiepiscopus autem utens Cruce, nullatenus illam ante se deferri permittet in consimilibus actibus.

Talari etiam veste, rocchetto et mantelletto amictus erit Praeses sive Gubernator vel Vicelegatus publice invisens Archiepiscopum seu Episcopum, et quando eum pro publica visitatione aliave de causa in publica forma advenientem excipere debet.

Caput III.

De accessu Praesidis aut Gubernatoris unacum Archiepiscopo seu Episcopo cappa induto ad Metrop. vel Cathedr. Ecclesiam pro sol. publicis functionibus explendis.

Annis solemnioribus festis diebus recurrentibus, qui in I. capite libri II. Caerem. Episc. enumerantur, videlicet: Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, ss. apost. Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, Dedicacionis Ecclesiae Metrop. et Cathedr., Sancti Titularis illarum Ecclesiarum et Patroni civitatis vel festivitibus aliis extraordinariis juxta peculiare locorum mores et circumstantias pari cum solemnitate celebrandis, Praesidis vel Gubernatoris erit sub horam ab Archiepiscopo seu Episcopo designatam et per certum Nuncium ei patefactam unacum Magistratu se conferre intra januam Episcopii. Eo quidem tempore et nulla prorsus interposita mora Antistitem gradus scalae descendente adinveniet, quem post debita urbanitatis verba vicissim expleta, ipso Magistratu praeunte, usque ad portam sive Metrop. sive Cathedr. Ecclesiae comitabitur Praeses seu Gubernator, semper ad ejus sinistrum latus incedendo. Cum ambo in limine praefati ostii steterint, accipiet Archiepiscopus sive Episcopus aspersorium, et postquam se lustrali aqua munierit, de illa primum porriget per contactum aspersorii ipsi Praesidi vel Gubernatori: sicut ante ingressum cujuscumque alterius Ecclesiae aut privati Oratorii pariter cum eo semper faciet: ac deinde Capitulum, Magistratum et circumstantem populum asperget.

Caput IV.

De adoratione SS. Sacramenti atque inde progressu ad altare majus, ubi

de loco et sella Praesidis seu Gubernatoris aut Vicelegati, ac de recessu a Metropolitana vel Cathedrali, s. actionibus absolutis.

Archiepiscopus sive Episcopus aspersione completa eo, quo venerat, ordine SS. Sacramentum in ejus altari adoratum simul cum Praeside vel Gubernatore progredietur. Intra Capellam, ubi illud asservari solet, genuflectent ambo: Antistes super ligneo scabello (quod genuflexorium vocatur) ante altare accomodato, panno viridi seu violaceo pro qualitate temporum cooperto, appositis pulvinaribus superius et inferius, Praeses autem vel Gubernator in alio genuflexorio ex latere Evangelii praeparato, violacei semper coloris panno ac pulvinaribus instructo, non in aequali linea, sed per transversum locato ac tali forma, ut illud Archiepiscopi sive Episcopi respiciat; ad Praesidis autem vel Gubernatoris dexteram erit Magistratus directo ordine super pulvinaribus tantum genuflexus.

Post debitam Sacramenti venerationem praestituto jam ordine procedetur ad altare majus, parum distans ab eo Archiepiscopus sive Episcopus mutuis consalutationibus sese dividet a Praeside vel Gubernatore, qui, dum ille iterum oraturus ad suum faldistorium, ut in eo procumbat, accesserit, petet et ipse Residentiam suam hacce sub forma comparatam.

Prope et inter solium Pontificale ac immobile consuetum scamnum pro Magistratu constituetur suppedaneum, unicus nempe ligneus gradus, in cujus planitie decens sedes cumeralis collocabitur. A tergo autem ipsius sellae attolletur postergale non praealtum palmorum septem aut octo, nec latum magis quam sex, quod panno coloris violacei, nulla auri argenteve textura sive ornatu distincto contegetur.

Ante praefatam sedem congruum insuper apponetur genuflexorium, tapete et pulvinaribus enunciati violacei coloris non absimiliter stratum, super quo Praeses et Gubernator queat submittere genua. Haud tamen stabilis unquam fixaque detinebitur inibi hujusmodi residentia, sed sicut opportune apponenda, quoties Praeses vel Gubernator sacris erit interfuturus actionibus, ita singulis vicibus illico removenda functionibus ipsis expeditis.

Quando pro concionibus commodius audiendis Archiepiscopo vel Episcopo discedendum erit a sua pontificali cathedra fixa, ut propriorem locum e conspectu suggesti comparatum adeat, tunc, si pro ipso Archiepiscopo seu Episcopo solium cum umbella fuerit ibidem erectum, pariter et pro eodem Praeside seu Gubernatore supradesciptum postergale cum gradu et sella praestabitur. Si autem baldachinum nequaquam fuerit Antistiti exhibitum, tali casu parabitur absque postergali dumtaxat sella, alteri Antistiti prorsus uniformis et similis.

Quoniam vero juxta diversas locorum consuetudines contingere potest, ut seorsim ab Archiepiscopo aut Episcopo vel ipso etiam astante Praeses seu Gubernator Divinis cum Magistratu interfuturus, ad aliquam Ecclesiam a Cathedrali seu Metropolitana alienam divertere debeat: in hac etiam erit tunc praefata residentia pro Praeside vel Gubernatore comparanda, modo sit in illa pariter erectus et comparatus thronus pontificalis pro Archiepiscopo sive Episcopo; adeo ut, non erecto pontificali solio, neque residentia unquam sit attollenda.

Ea tamen uti poterit Praeses vel Gubernator, quoties alicujus thesis disceptationi aut literariis lusibus consimilibusque publicis actibus, tamquam praecipuus et principalis Patronus, praerit, licet eo tempore nec appositus

nec apponendus unquam sit thronus pro Archiepiscopo seu Episcopo.

Post exactas s. functiones, quibus una cum Archiepiscopo sive Episcopo cappa induto astiterit Praeses vel Gubernator, repetendo SS. Sacramenti altare pro fundendis in gratiarum actionem novis precibus ante illud, quidquid de primo accessu statutum fuit, ad unguem servabitur. Nullatenus tamen in discessu sinet Archiepiscopus seu Episcopus se a Praeside vel Gubernatore rursus perducere usque ad januam proprii palatii, sed ab illo comneatum accipiet in limine ipsius Ecclesiae.

Caput V.

De thure ac pace Praesidi seu Gubernatori aut Vicelegato deferendis ac insuper de loco eorum pro accipiendis candela, cineribus et palma, nec non de adoratione Crucis fer. 6. in Parasceve.

Circa thus et pacem omnimodo servabitur dispositio Caeremonialis Episcoporum et Praeses vel Gubernator sive Vicelegatus nunquam erit thurificandus a Presbytero, Archiepiscopo sive Episcopo assistente, qui Antistitem ipsum in Vesperis Officium facientem aut iis vel solemnibus ab alio celebratis Missis apud solium astantem thurificavit; sed duplici ductu ipsum Praesidem seu Gubernatorem aut Vicelegatum, post tres Canonicos in eodem solio assistentiam Archiepiscopo vel Episcopo exhibentes atque una cum eo individuum corpus efformantes, solum debet incensare minister ille, cui subinde caeteros Canonicos de choro, licet sacris indutos paramentis, inerit onus thurificandi. Et iste modus et ordo quoad locum et personam servabitur in delatione pacis; eam etenim Praeses vel Gubernator aut Vicelegatus recipiet ab

eo, qui distributurus mox erit illam enunciatis Canonicis in choro existentibus.

Candelam in die Purificationis et palmam in distributione earum Praesidi seu Governatori aut Vicelegato dabit ipsemet Archiepiscopus sive Episcopus, statim ac propria recepta alteram reddiderit digniori Canonico parato, a quo ipse suam prius receperat. Praeses autem aut Governator seu Vicelegatus, cum ascenderit ad Archiepiscopum vel Episcopum, ut ab eo candelam seu palmam accipiat, non genuflectet, sed stans ipsam capiet cum debitis osculis tum illius tum manus Archiepiscopi sive Episcopi eam sibi porrigentis. Stans pariter recipiet cineres ab Archiepiscopo vel Episcopo, postquam hic eos imposuerit Canonico in illa die Missam cantaturo.

Feria sexta in Parasceve, non celebrante Episcopo, Praeses vel Governator aut Vicelegatus, ad Canonici Officium facientis sinistram incedendo ad adorandam Crucem procedet. Episcopo vero celebrante ibit immediate post eum ante omnes Dignitates et Canonicos.

Caput VI.

De generali Communione fer. 5. in Coena Domini quoad habitum, locum et ritum Praesidis seu Governatoris vel Vicelegati.

Quando Praeses aut Governator vel Vicelegatus sit in Sacro Presbyteratus seu Diaconatus ordine constitutus, quia multum decet et convenit, ut cum aliis eo die communicet, adventante Communionis tempore, cottam superinduet rocchetto, cum stolam sumere et a collo vel ab humero sinistro pendentem etiam habere debeat. Communionem primus omnium accipiet et manum Archiepiscopi sive Episcopi ante illam osculabitur.

Si autem neutro fuerit caractere insignitus cunctorum primus pariter ad communicandum procedet, rocchetto et mantelletto tantummodo indutus.

Caput VII.

De mutuis reverentiis inter Ecclesiarum Antistites et Praesidem sive Governatorem aut Vicelegatum; deque salutatione Concionatoris erga alterutrum.

Pontificalis salutatio regulariter inter sacras actiones in eo consistit, ut manu aperta singulis benedicat; nihilominus, ut a communi caeterorum Fidelium coetu, velut filiorum spiritualium Antistiti subjectorum, distinguatur Praeses sive Governator vel Vicelegatus, sicut erga Canonicos servare jubet Caeremoniale Episcoporum lib. I. cap. XVIII.: oportebit, ut Archiepiscopus seu Episcopus capitis inclinatione Praesidem vel Governatorem aut Vicelegatum salutet, quoties ad sedem suam ascendere seu ab illa descendere incipiet; eique Praeses sive Governator vel Vicelegatus cominus bireto deposito assurgens mutuam rependet salutationem caput similiter inclinando.

Verum enimvero in hujusmodi salutationibus exequendis regula a laudata Episcoporum Caeremoniali eodem in capite designata omnino erit attendenda, videlicet: ut, dignitate gradus minime attenta, sed prae oculis actionis modo et commodo dumtaxat reverentia semper fiat primo ei, ad quem itur, nullo habito respectu quis eorum sit major. Sicque quaelibet praeeminentiarum et praecedentiarum discrepantia, quae forsitan Canonicos inter et enuntiatos Praesules fuisset unquam exorta, prorsus dirimetur.

Quos quidem reverentiales mutuos actus omittere necesse erit in Matutinis Tenebrarum, per integram feriam

VI. in Parasceve ac Sabbato Sancto usque ad solemnem Missam exclusive, sicut enim in singulis Mortuorum Officiis, quae obvenire fortasse poterunt.

Consentaneum quippe hoc erit legi et praxi usque adhuc servatae abstinendi in praefatis conventibus etiam a benedictionibus tum solemnibus tum privatis et Cleri inferioris et populi circumstantis, utpote quae sunt actus potestatis et solemnitatis luctuosis hisce actionibus repugnantes.

Concionator vero sublationem hujusmodi nunquam praetermittet sive eadem fer. VI. in Parasceve sermonem de Passione sive de laudibus alicujus Defuncti post mortualem Missam sit facturus: prout in praecitati Caeremonialis Episcoporum lib. II. cap. 11. et 25. super utroque casu decernitur: Et ideo post illam primo loco debitam Episcopo vel Archiepiscopo speciatim versus Praesidem seu Governatorem aut Vicelegatum reverentiam aliam semper faciet.

Caput VIII.

Praesidi vel Governatori in incensu variatur locus, quando Episcopus vel Archiepiscopus fuerit sacris Paramentis indutus.

Quod in superiori capite tertio stabilitum fixumque fuit circa locum Praesidis seu Governatoris accedentis cum Episcopo sive Archiepiscopo ad Ecclesiam et ab Altari SS. Sacramenti divertentis ad principem Aram, ut scilicet ad sinistram ipsius Antistitis incederet, est solummodo intelligendum, quando Archiepiscopus vel Episcopus fuerit sola cappa Pontificali indutus. Nam de caetero, si sacris indumentis exornatus processerit, sive ut Deo sacrificium offerat, sive publicis solemnibusque supplicationibus cum pluviali intersit, ibi Praeses aut Governator in habitu suo ordinario, hoc est mantelletto super rocchetto, non

amplius ad sinistram sed immediate post Archiepiscopum seu Episcopum.

Caput IX.

De Archiepiscopi seu Episcopi descensu in Ecclesiam per scalam interiorem et privatam portam.

Si ob aëris intemperiem aut peragenda functionum qualitatem seu ob aliam quamque causam aptiorem commodioremque judicaret Antistes descensum in Metropolitanam seu Cathedrali, tam obeundi gratia omnes illas sacras actiones a Caeremoniali circumscriplas quam alias ab eo minime definitas, per scalam interiorem Palatii in ipsamet Ecclesiam porrigentem Praesidis aut Governatoris tunc erit praestituta sub hora una cum Magistratu ad eam accedere et in illa Antistitem jam cappa indutum descendentem afficiosius verbis excipere ac subinde comitari, prout supra fusius explicatum est.

Quae quidem obviatio a solo etiam Magistratu erit explenda Praeside aut Governatore absente.

Caput X.

Quo accedere debeat Magistratus, ut Archiepiscopo seu Episcopo inserviat absente Praeside vel Governatore; ac generatim de loco illius in incensu, adsit vel absit Praeses aut Governator.

Magistratus saecularis, quotiescumque legitimo impedimento detentus abfuerit Praeses vel Governator, non ad ostium Episcopii tantum sed superius ascendere debet in aulam seu Cubiculum ab Archiepiscopo vel Episcopo ad hoc destinatum, atqui ibi praestolari, ut eum, postquam fuerit opertus cappa, progredientem ad Ecclesiam comitetur et deducat; procedet autem